

Año XLVII.

15 DE MAYO DE 1906.

Núm. 9.^o

BOLETIN OFICIAL



DEL

Obispado de Osma.

SUMARIO.

Letras Apostólicas sobre la enseñanza de la Sagrada Escritura en los Seminarios.—Circular del Ilmo. Prelado con motivo del mes de Junio.—Aviso de la Delegación de Cruzada sobre descuentos á las Fábricas.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII
DIVINA PROVIDENTIA PAPAE X

LITTERÆ APOSTOLICÆ

DE RATIONE STVDIORVM SACRAE SCRIPTURÆ

IN SEMINARIIS CLERICORVM SERVANDA

PIUS PP X

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi

ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* recte decessor Noster illustris edixit: «Prima cura sit, ut in sacris Seminariis vel «Academīis sic omnino tradantur divinæ Litterae, que- «madmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum «necessitas admonent.» In eamdem autem rem haec Nos, quae magnopere videntur profutura, praescri- bimus:

I. Sacrae Scripturae praeceptio, in quoque Semi- nario impertienda, ista complectatur oportet; primun, notiones de inspiratione praecipuas, canonem Biblio- rūm, textūm primigenium potissimāsque vērsiōnes, le- ges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testa- menti; tum singulorum, pro cuiusque gravitate, Libro- rum analysim et exegesim.

II. Disciplinae biblicae curriculum in totidem an- nos partiendum est, quot annos debent alumni Eccle- siae intra Seminarii septa, commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum con- ficerit.

III. Mágisteria Scripturae tradendae ita constitu- tur, quemadmodum cuiusque Seminarii conditio et fa- cultates ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sa- cerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, praeceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res pos- tulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen ali- quanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quae graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebreus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Praesortim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causa interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presso dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula propias tanquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicae historiae complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad finem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se praexceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitae erudire ad semperitnam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quae sit optima via Evangelii praedicandi: eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum prescripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebreo sermone et graeco biblico, atque etiam, quoad eius fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba, erunt excolendi. «Sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addebet, eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus. «ab agiographis exarati, easdemque optimum factu erit. «si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curan-

dum, ut omnibus in Academiis de ceteris item antiqui
»linguis, maxime semiticis, sint magisteria.» (Litt. En-
cycl. *Providentissimus*.)

XI. In Seminariis, quae iure gaudent academicos
theologiae gradus conferendi, augeri praelectionum de
Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea genera-
les specialesque pertractari quaestiones, ac biblicae
vel archeologiae vel geographiae, vel chronologiae,
vel theologiae, itemque historiae exegesis plus tem-
poris studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut
secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti
alumni ad academicos Sacrae Scripturae gradus com-
parentur: quod quidem ad idoneos divinarum Littera-
rum magistros Seminariis quaerendos non parum va-
lebit.

XIII. Doctor Sacrae Scripturae tradendae sanctum
habebit, numquam a communi doctrina ac Traditione
Ecclesiae vel minimum discedere: utique vera scientiae
huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia
peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novato-
rum commenta negliget: idem eas duntaxat quaestiones
tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam
et defensionem Scripturarum conducat: denique ratio-
nem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiae
plenas, quae Litteris Encyclicis *Providentissimus* con-
tinentur.

XIV. Alumni autem quod scholae praelectionibus
ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labo-
re suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem
enarrare Scripturam magister praे angustiis temporis
non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto
spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti
attentam lectionem continuabunt; in quo optimum fac-
tu erit; breve aliquod adhiberi commentarium, quod
opportune obscuriores locos illustret, difficiliores ex-
plicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiae, quantum nimirum e scholae präelectionibus profecerint, periculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque candidatus ad academicos theologiae gradus, quibusdam de Scriptura quaestionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebraei sermonis graecique biblii scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, praeter interpres, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina coniunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestiniensibus: ex quibus facile locorum morumque bibliorum notitiam imbibent.

XVIII. Huius rei gratia, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumni in promptu sint.

Haec volumus et iubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Martii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

A. CARD. MACCHI.

CIRCULAR NÚM. 209.

El amor infinito que Nos tiene el Sacratísimo Corazón de Jesús debe movernos á corresponderle agradecidos con nuestro amor y devoción. ¿Qué más ha podido hacer por nosotros el divino Corazón que lo que ha hecho? Nos ha dado su sangre, su vida y se ha quedado.

do con nosotros en el Santísimo Sacramento del altar hasta la consumación de los siglos. No es posible mayor amor. Justo es, pues, que nuestros corazones se inflamen en su divino amor y que se le ofrezcan santa y generosamente.

En todo tiempo debemos manifestar nuestro amor y devoción al Sagrado Corazón de Jesús; pero muy particularmente en el mes de Junio, que es su mes por excelencia. Si lo hacemos así, honrándole con especiales actos de piedad y devoción; si le ofrecemos algún acto de mortificación ó penitencia extraordinaria; si procuramos ejercitarnos con singular empeño en la práctica de las virtudes cristianas; si cuidamos esmeradamente de tener limpios y puros nuestros corazones para que en ellos reine el Sacratísimo de Jesús, como tiene derecho á reinar, recibiremos abundantísimas gracias y bendiciones celestiales y nuestras almas experimentarán dulcísimos é inefables consuelos.

Estos son nuestros más ardientes deseos; los mismos que seguramente animan á nuestros celosos párracos, quienes no dudamos que han de velar solícitos por su cumplimiento y para que el fuego divino que el Hijo de Dios vino á traer á la tierra abrase los corazones. Concedemos cincuenta días de indulgencia á los fieles que asistan á cualquier ejercicio piadoso que durante el próximo mes de Junio se celebre en honor del adorable Corazón de Jesús y autorizamos para que en el día de su fiesta ó en aquel en que tenga lugar la principal función religiosa se exponga á Su Divina Majestad.

Burgo de Osma 14 de Mayo de 1906.

† EL OBISPO.

AGENDA IN COLLATIONE 4.^a DIE 7 JUNII ANNI 1906
QUAESTIO MORALIS.

Quotuplici modo violari potest sigillum tam directe quam indirecte? Potesne confessarius monere compli-

cem ad correctionem de licentia poenitentis? Poena contra violantes sigillum?

CASUS

Gregorius, parochus, sponsorum confessionem excipiens, audit peccatum ab sponsa pluries patratum cum sponso, qui paulo post etiam confitens illud peccatum omnino reticet in confessione. Nesciens quid agat, cum inducit ad unius diei dilationem praetextu majoris fructus, sed revera ut ab sponsa altero die quoque redditura licentiam de peccato illo commisso cum sponso loquendi, caute exposcat. Alias, ad audiendam confessionem cuiusdam mulierculae accersitus, sese excusat fictam causam excogitans, quia jam eam antea audiendo, expertus fuerat graves tentationes, ac proinde existimabat se non teneri cum proximo animae periculo ad eam iterum audiendam. Quaeritur: an confessarius possit vel debeat absolvere poenitentem negantem peccatum, quod novit intra confessionem ab ipso fuisse commissum? an confessarius se eximere possit ab aliqua audienda muliere quam ex alia ejus confessione scit sibi esse periculosam? Quid ergo de agendi ratione Gregorii?

QUAESTIO LITURGICA.

Quare Sacrificium Novae Legis dicitur Missa? Quomodo dividitur Missa quoad ritum liturgicum? An et in quibus Ecclesiis datur obligatio quotidie Missam celebrandi?

AGENDA IN COLLA IONE 5.^a DIE 21 JUNII

QUAESTIO MORALIS

Materia remota et proxima S. Extremae Unctionis? An unctionis quinque sensuum sit de necessitate sacramenti; an gemina et cum ordine facienda? Forma et ejus verba essentialia? An requiratur ad validitatem expressio cuiuslibet sensus, et an sufficiat unica forma ad omnes cum singulorum expressione?

CASUS

Julius, aegrotus, post manuum et ante pedum unctionem visus fuit omnibus adstantibus jam spiritum emississe; hinc Petrus sacerdos a praedicta unctione perficienda abstinuit: verum post horae quadrantem animadvertisit aegrotum adhuc vivere: quare magna ansietate quaerit quid sibi faciendum sit. Ipse patera sacerdos administrans extremam unctionem in casu urgentis necessitatis, cum Rituale p[re] manibus non haberet, hanc adhibuit formam quae ejus memoriae tunc occurrit: Ungo te oleo sancto, ut per suam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid etc.... Quaeritur: quid ad primum respondendum, et an validè ac licite egerit in secundo casu?

QUAESTIO LITURGICA

An Missa quotidie officio conformis esse debeat? Missa autem non conventualis nec Parochialis conformis esse debet etiam in semiduplicibus et feriis? Cuinam ordini divini officii Missa debet esse conformis, et quomodo ille ordo agnoscitur?

DELEGACIÓN DE CRUZADA

Por disposición del Ilmo. y Rvmo. Sr. Obispo de esta Diócesis dejarán de percibir las Iglesias la mensualidad del mes de Mayo de este año por no haber fondos de Cruzada para cubrir lo que por este concepto descuenta el Estado, debiendo firmar los recibos del material para justificación de las cuentas de la Habilitación.

Lo que se hace saber para conocimiento de los señores Curas párrocos y demás encargados de las fábricas para que les sirva de justificante este documento en sus respectivas cuentas.

Burgo de Osma 14 de Mayo de 1906.

El Administrador de Cruzada,
Regino Ortega.